



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. IV. De effectibus Baptismi,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

eorum infantes licite baptizari.

77. Confirmatur primò: Si parens vellet interficere filium, posset infans justè non obstante jure naturæ quod habet in eum, vi eripi: Ergo multò magis si nolit eum baptizari, salus enim animæ præferri debet vitæ corporis.

78. Confirmatur secundo: Potestas defendendi innocentes, jure naturæ competit principi, imò & cuilibet particulari. Sed pueri sunt innocentes, & patiuntur maximum damnum, si non baptizentur: Ergo jure naturæ licitum est principi eos baptizare, & si opus fuerit, de potestate parentum eripere.

79. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Potest princeps privare subditos dominio quod habent in filios, quando illo abutuntur contra jus naturæ, vel civile, concedo. Quando eo abutuntur contra legem supernaturalem, qualis est quæ obligat ad baptismum, si sint infideles, nego. Cum enim potestas civilis sit merè naturalis, & ab hominibus dimanans, non potest extra jus naturæ se extendere ad legem supernaturalem, ejusque observantiam, sed hoc pertinet ad aliam potestatem superiorem, quæ est immediatè à Deo, nimirum ad potestatem juri dictio- nis spiritualis, primò & per se & cum tota plenitudine residentis in Summo Pontifice, cui cum infideles non baptizati non subdantur, consequens est eos à nullo principe posse privari jure & dominio naturali quod habent supra filios, quando eo contra legem supernaturalem, & parvulorum salutem abutuntur. Ex quo facile solvitur prima confirmatio, & intelligitur ratio quare si contingeret quod pater infidelis vellet occidere filium, posset privari jure quod habet supra illum, & ab ejus potestate eripi, & tamen non possit tali jure privari, ex eo quod non vult permittere ut baptizetur: volendo enim eum occidere, peccaret contra jus naturale, cujus cura per se pertinet ad principem temporalem, at verò ex eo quod nolit permittere ut baptizetur, peccat contra jus supernaturale, ad cujus defensionem potestas secularis non se extendit. Unde

80. Ad secundam confirmationem, distinguo Majorem: Potestas defendendi innocentes contra damnum in rebus quæ jure naturæ sunt ipsis debita, convenit principi, imò & cuilibet particulari, jure naturæ, concedo Majorem. Potestas defendendi innocentes contra damnum in rebus supernaturalibus, nego Majorem. Damnum enim supernaturale, non est contra justitiam naturalem, neque contra finem politicum, proindeque vindicari non potest ab eo qui solum habet potestatem politicam. Similiter distinguo secundam partem Minoris: Pueri, si non baptizentur, patiuntur maximum damnum, in rebus jure naturæ ipsis debitis, nego Minorem. In rebus supernaturalibus, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

81. Obijcies tertio contra secundam conclusionem: Dominium quod quis habet in captivum, vel in mancipium, non dat illi jus ad supernaturalia: Sed baptizare parvulum est aliquid pertinens ad ordinem supernaturalem: Ergo dominium quod quis habet in captivum, vel in mancipium, non dat illi jus ad baptizandum ejus filium, ipso invito & renuente.

82. Respondeo hoc argumentum solum probare dominium quod quis habet in captivum non importare immediatè & per se autoritatem ad baptizandos ejus filios, ipso invito, sed tantum quasi

A per accidens & secundariò: licet enim illud gentium quo captivi mancipantur, per se rectè ad supernaturalia non pertinet, imò tamen & quasi per accidens ad ea se extendendo facultatem separandi per donationem aut venditionem filios à parentibus, eo sine utroque zentur.

Dices, per donationem aut venditionem non auferitur à patre servus jus paternum: Ergo sine jura patriæ potestati, cum ipso invito, filii baptizantur.

Respondeo quod jus radicale non auferitur à patre per venditionem aut donationem, sed auferitur jus proximum & expeditum; & sic sine fine temporali licet potest hoc jus impediri, tamen magis sine spirituali & supernaturali, cujus temporalia & transitoria subvenire debent.



DISPVATIO IV.

De Effectibus Baptismi.

Ad questionem 69. Divi Thomæ.

C Considerata causâ Baptismi effectivâ, & subjeclivâ, consequens est ut de viis ejus effectibus differamus, & quædam S. Thomas quæst. 69. breviter exponamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam sint effectus Baptismi?

Dico primò, omnia peccata tolli per baptismum.

Conclusio est certa de fide, ac definita Florentino in decreto unionis, ubi de Baptismo dicitur: Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpe originalis & actualis. Id etiam aperte docent SS. Patres: Augustinus enim libro 1. de peccatorum meritis cap. 15. hæc scribit: Genus carne tantummodo trahitur peccatum originale: generante autem Spiritu, non solum originale, sed etiam voluntarium sit remissio peccatorum. Similia habet Cyprianus, vel auctor sermonis de ablutione pedum, ubi de Baptismo ait: à abditio & secretissimo Spiritus Sancti munus, lavat gratia liquor emundat, sic lavans quæ parentis labe infecerat: ut neque actualis nec originale culpa vestigia relinquat.

Idem docet S. Thomas hic art. 1. ubi nostram conclusionem probat in argumento sed contra, ex illo Ezechielis 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris. Quem locum S. Hieronymus libro 1. & D. Cyprianus libro 4. Epistola 7. & S. Ananias Epistola ad Serapionem, Theodoretus, & alii, de aqua Baptismi exponunt.

In corpore verò articuli sic discurrit: Per baptismum moritur homo vetustati peccati, & incipit vivere vitæ gratia, ut docet Apostolus ad Romanos 6. Sed omne peccatum ad pristinum verbum pertinet: Ergo per baptismum tollitur omne peccatum. Hinc SS. Patres, & Scripturæ Interpretes, docent transitum filiorum Israel per mare rubrum, quandam fuisse Baptismi figuram sicut in mari rubro hostes à tergo filii Israel persequentes, submersi sunt in aquis maris: ita in aquis Baptismi suffocantur & dantur

conferuntur omnia peccata ante Baptismum commissa. Unde Augustinus libro 12. contra Faustum cap. 29. Naves & mare rubrum, Baptismus atque est, Christi sanguine consecratus, hostes sequentes à tergo moriuntur, cum peccata præterita remittuntur. Addit Bernardus sermone 39. in Cantica, eandem figuram magis explicans: ibi populus educus de Ægypto, hic homo de seculo: ibi prosternitur Pharaon, hic Diabolus: ibi subvertuntur curus Pharaonis, hic carnalia & secularia desideria, quæ militant adversus animam, subvertuntur: ibi in fluctibus, isti in sletibus: marini illi, amari isti.

Dico secundò: Per Baptismum liberatur homo ab omni reatu pœnæ quæ pro culpa debetur, per illum tamen penalitates vitæ præsentis non auferuntur.

Prima pars hujus conclusionis est de fide, definita in Florentino supra citato, ait enim quod huius sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originis, & actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa culpa debetur. Et Tridentinum sessione 6. cap. 14. constituit discrimen inter Baptismum & Penitentiam, quòd in ista, dimissa culpâ, remanet satisfactio pro pœnâ temporali, quæ ut sacre littere docent, non tota semper (ut in Baptismo) dimittitur illis.

Eadem veritas patet ex perpetuo Ecclesiæ usu & consuetudine, baptizatis enim nulla unquam impossita sunt opera satisfactoria, sicut fit in Sacramento Penitentiae. Unde Ambrosius ad Romanos 11. Gratia Dei in Baptismo gratis omnia condantur, & non querit genus aut plantum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem.

Ratio verò primaria hujus est voluntas Dei & institutio Christi, qui tantam voluit conferre virtutem Baptismo, ut omnem culpam & pœnam auferret, quod colligitur ex eo quod instituit hoc Sacramentum per modum generationis spiritualis; atque adeò sicut in generatione corporali (juxta D. Thomæ sententiam) fit resolutio usque ad materiam primam, ita ut nullum accidens quod erat in corrupto, maneat in genito: ita & nullum accidens ad generationem spirituale pertinet, debet remanere in homine per Baptismum regenerato, sive quoad culpam, sive quoad pœnam. Unde Chrysostomus homil. 34. in Joan. In aqua Baptismi tanquam in sepulchro caput immergentibus, vetus homo sepelitur, emergentibus intus, novus resurgit.

Secunda pars quæ asserit penalitates hujus vitæ non auferri per Baptismum, non minus est certa quàm præcedens, experientiâ enim constat in baptizatis remanere concupiscentiam, & fontem peccati, eosque esse obnoxios fami, siti, morbis, & mortì: licet enim Baptismus, quantum est de se, has vitæ hujus penalitates auferendi virtutem habeat, conveniens tamen fuit, ut eas non tollerent ante resurrectionem: Primò, quia cum per Baptismum homo fiat membrum Christi, debet ipsi assimilari: Christus autem usque ad resurrectionem, passus est famem, labores, dolores, mortem, & similes penalitates. Secundò, ut major esset corona, ex majoris pugne victoria. Tertiò, ut homines potius susciperent Baptismum, propter impassibilem temporalem, quam propter gloriam æternam. Ita D. Thomas hic art. 3. in corpore.

Dico tertio: Per Baptismum conferuntur gratia & virtutes. Ita S. Doctor art. 4. & 6. & de-

finiuntur in Clementina 1. de summa Trinitate, colligiturque ex Tridentino sess. 3. cap. 5. ubi generaliter dicitur, baptizatis conferri gratiam, & consequenter virtutes ab ea dimanantes.

Ratio etiam id suadet, Primò quia Baptismus est institutus ad tollendum peccatum originale, & actuale, si adsit: Sed hæc non remittuntur sine infusione gratiæ: Ergo per Baptismum confertur gratia. Secundò, Baptizati Christo incorporantur, tanquam ejus membra: Sed à Christo capite derivatur plenitudo gratiæ & virtutis ad omnia ejus membra, juxta illud Joan. 1. De plenitudine ejus nos omnes accepimus: Ergo per Baptismum conferuntur gratia & virtutes. Tertiò, Baptismus efficit quod significat: Sed sicut aqua per suam abluionem significat emundationem à culpa, & per refrigerium, liberationem à pœnâ, ita & per naturalem claritatem significat splendorem gratiæ & virtutum: Ergo in Baptismo gratia & virtutes infunduntur.

Hæ rationes probant, non solum adultis, sed etiam parvulis, gratiam & virtutes per Baptismum conferri. Unde Cyprianus Epistola 59. Una est divini muneris aequalitas apud omnes sive infantes sive maiores aetate; nam gratia quæ baptizatis datur, non pro ætate accipientium maior vel minor tribuitur, sed de pietate atque indulgentia paternæ aequalis omnibus præbetur: nam Deus ut personam non accipit, sic neque ætatem, cum se omnibus ad celestis gratiæ consecutionem, aequalitate librata, præbeat patrem.

Dico quartò: Baptismo convenienter attribuantur tres actus, scilicet incorporatio ad Christum, illuminatio, & fecundatio.

Probatum breviter: Per Baptismum homo fit membrum Christi, & ipsi incorporatur; & cum sit Sacramentum fidei, per illum spiritualiter illuminatur. Item per gratiæ & virtutum infusionem, bonorum operum fecunditate donatur: Ergo illi convenienter attribuantur tres actus prædicti, nimirum incorporatio ad Christum, illuminatio, & fecundatio. Ita Sanctus Doctor art. 5.

Dico quintò: Apertio januæ regni celestis est effectus Baptismi. Est etiam D. Thomæ art. 5. ubi illam probat in argumento sed contra, ex illo Lucæ 3. Iesu baptizato apertum est celum. Quæ verba Venerabilis Beda expendens, tubdit: Virtus hic Baptismi ostenditur, de quo quisque cum egreditur, regni celestis ei ianua aperitur. In corpore verò articuli sic discurre: Aperire januam regni celestis, est amovere impedimentum quo quis impeditur regnum celeste introire: Sed tale impedimentum, nimirum culpa & reatus pœnæ, per Baptismum tollitur, ut ex supra dictis patet: Ergo per illum janua regni celestis aperitur. Quod autem ante passionem Christi, Baptismus hunc effectum non haberet, id erat per accidens, quia tunc non habebat suam significationem perfectam, cum significet mortem & sepulturam Christi, cui in Baptismo commorimur, ut docet Apostolus ad Roman. 6. nec erat tunc in suo statu veluti connaturali, quia nondum erat perfecta & consummata novæ legis institutio.

Præter hos effectus Baptismi, alii duo assignari possunt, nimirum character, de quo fuscè Tractatu præcedenti disputatione 5. & jus ad auxilia specialia, fini suo proportionata, nempe ad sanctæ & Christianæ vivendum, ut decet filios Dei adoptivos, Christique fratres, & regni

caelestis heredes, juxta illud D. Leonis sermone A
1. de Nativitate: *agnosce o homo dignitatem tuam, & divina consors factus natura, noli in veterem vilitatem degeneri, conversatione redire.*

- 11 Alios effectus falsò addunt haeretici, nempe quòd baptizatus non possit damnari, etiam si velit, nisi nolit credere. Quòd Baptismus liberet ab obedientia divinae legis, itemque ab humanarum legum observatione, & ab omnibus votis. Quòd denique sola memoria Baptismi iustificet à peccatis post Baptismum commissis. Qui omnes errores damnantur à Tridentino sessi. 6. can. 6. 7. 8. 9. & 10. de Baptismo, ac fusè refutantur à Bellarmino libro 1. de Baptismo cap. 14. & sequentibus.

ARTICULUS II.

An Baptismus fide susceptus, recedente fictione, ex opere operato, producat suum effectum?

§. I.

Quibusdam praemissis difficultas resolvitur.

- 12 SUPpono primò, fictionem posse esse duplicem: Prima est, quando quis exterius simulat se velle Baptismum recipere, nullam tamen interius intentionem habet illud recipiendi, & de hac fictione hic non loquimur, certum enim est, illam nedum effectum, sed etiam valorem Sacramenti tollere. Secunda est, quando quis habet quidem intentionem recipiendi Sacramentum, & simulat se cum fide & debita dispositione ad illud accedere, re vera tamen non credit, vel non est dispositus ad recipiendum esse & um Sacramenti, vel quia habet complacentiam in aliquo peccato mortali, vel quia accedit ad Baptismum sine sufficienti dispositione ad gratiam consequendam, existimans se esse sufficienter dispositum, puta si habeat attritionem solum naturalem, quam bonà fide existimat esse supernaturalem, & de hoc genere fictionis agimus in praesenti, non verò de altero.

- 13 Suppono secundò, fictionem hoc modo sumptam, licet valorem Baptismi non tollat, impedire tamen praecipuum ejus effectum, scilicet gratiam, & remissionem peccatorum, quia complacentia in peccato praeterito opponitur infusioni gratiae, & ad eam recipiendam homo per actum supernaturalem disponi debet.

- 14 His praemissis, quarimus, an dum quis Baptismum fide suscipit, & postea poenitet de fictione, eamque per actum contritionis, vel saltem attritionis supernaturalis tollit, Baptismus fide susceptus, gratiam per fictionem impeditam, ex opere operato producat?

Partem negativam tenent Scotus in 4. dist. 4. quaest. 5. Gabriel ibidem quaest. 1. art. 3. dubio 1. Joannes Andreas in cap. Tunc valere, de consecratione dist. 4. Joannes Medina codice de confessione, Tractatu 2. quaest. de confessione ficta iteranda, ubi ait: Non esse omnino certum, quod Baptismus valeat ad gratiam baptismalem, quando recedit fictio, qui aliquibus visum est, quod tunc homo ille per solam contritionem assequatur gratiam. Idem sentire videntur Vazquez hic disputatione 150. cap. 4. & Augustinus Bernal disputatione 13. de Sacramentis in genere sect. 2.

Dico tamen, Baptismum fide susceptum, recedente fictione, ex opere operato, suum effectum producere. Ita communiter Thomistae, D. Thomam hic art. 10. Suarez, Grando, D. lugo, Coninck, & alii.

Probatur primò ex Augustino libro 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. ubi Baptismus fide susceptum dicit quòd tunc valere incipit ad salutem, cum illa fictio veras confessiones cesset. Et cap. 13. de Baptismo in schismate suscepto ait: Tunc incipit valere ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiae pacem venerit. Item Auctor sententiarum de Passione apud S. Cyprianum, de his qui fide Baptismum susceperunt: *ibi inquit, redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit ad munus, nec aliàs queri aut repeti necesse est sacrum Sacramentum.* Eandem doctrinam citat Hugo à S. Victore in Epistolam ad Romanos quaest. 157.

Probatur secundò conclusio ratione D. Thomae: Quando causa ex se productiva effectus, impediatur, eum postea producit, remotio impedimenti; sicut quia in generatione corporis gravis, resultare debet motus deorsum, si non ille impediatur, resultat postea, sublati impedimento. Atqui Baptismus validus ex se potest producere gratiam: Ergo remota fictione, etiam eam producit ex opere operato.

Probatur tertio: Baptismus est inextinguibile. Ergo cum peccatum originale remitti non possit per aliud Sacramentum, quam per Baptismum, necesse est praecedentem Baptismum fide susceptum, recedente fictione, producere gratiam remissionis peccati originalis.

Confirmatur & magis illustratur praeratio 3. quis fide susciperet Baptismum, & postea vera attritione confiteretur, & suscipere poenitentiam, sine dubio iustificaretur, & à peccato originali mundaretur: Sed peccatum originale per Sacramentum Poenitentiae tolli nequit, sed duntaxat per Sacramentum Baptismi, quòd ejus remedio institutum est: Ergo tollitur, ut per Baptismum, subindeque Baptismus, recedente fictione, producit suum effectum.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

Obiicies primò: Opus mortuum, id est peccatum factum, non potest reviviscere. Sed susceptio Baptismi in peccato mortali est opus mortuum: Ergo non potest reviviscere, nec consequi suum effectum.

Respondeo ex D. Thoma hic art. 10. ad 2. effectum Baptismi qui erat conferendus ex opere operantis, non reviviscere, quia opus operantis fuit mortuum, redire tamen effectum Baptismi, ipsi ex opere operato correspondentem, quia sub illa ratione est opus Dei quòd non est mortuum in suscipiente fide Sacramento.

Obiicies secundò: Sacramenta novae legis sunt causa physicae gratiae, ut Tractatu praecedenti ostensum est: Sed Sacramentum Baptismi fide susceptum, recedente fictione, non potest physice causare gratiam, cum eo tempore non existat, & jam transierit: Ergo Baptismus fide susceptus, recedente fictione, suum effectum producere nequit.

Respondeo primò, quòd quando Thomam docent, Sacramenta, novae legis physice causare gratiam, hoc debet intelligi de Sacramento operantis.

fiat existente, cum existentia physica sit una ex conditionibus requisitis ad physicam operationem; unde cum Baptismus fide susceptus, recedente fictione, non existat physice, sed solum moraliter, nimirum in divina acceptatione, in tali casu per accidens gratiam physice non causat, sed duntaxat moraliter.

Respondet secundò, non esse improbabilem sententiam plurium Thomistarum, qui asserunt Baptismum fide susceptum, recedente fictione, physice gratiam causare, licet enim quando recedat fictio, Baptismus non sit in se, remanet tamen in sua virtute, nimirum in charactere, qui tunc elevatur ad causandam gratiam, quam Baptismus in puncto suae receptionis debebat producere, si non fuisset positum impedimentum. Unde D. Thomas in 4. dist. 4. quaest. 3. art. 2. quaestione. In Baptismo (inquit) imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam, & ideo cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quae effectum characteris impendebat, character qui est praesens in anima, incipit habere effectum suum; & ita Baptismus, recedente fictione, effectum suum consequitur.

Ex dictis inferes, sublata fictione conferri per Baptismum majorem vel minorem gratiam; juxta intensionem actus vel dispositionem tollentis fictionem: non verò (ut existimat Suarez) minimam gratiam quae ex opere operato per Baptismum dari potest, qualis est illa quae confertur infantibus.

Pater hoc corollarium ex dictis: Sacramenta enim conferunt gratiam majorem vel minorem, juxta intensionem dispositionis quae subiectum se disponit ad illam recipiendam: Sed per actum quo tollitur obex, subiectum se disponit ad effectum Baptismi recipiendum. Ergo juxta intensionem talis actus, Baptismus majorem vel minorem confert gratiam Baptismalem. Unde si aliquis removeret fictionem, per actum intentionem ut quatuor, majorem reciperet gratiam, quam ille qui devotè susceperet Baptismum, cum actu intento ut duo. Nec propterea primus ex peccato fictionis aliquod commodum reportaret, sed tantum ex perfectiori dispositione quae se ad gratiam baptismalem praepareret. Nec secundus esset deterioris conditionis, sed melioris, nam qui initio fructuosè recepit Baptismum, posuit plura virtutis opera, augmenti gratia memoria elicere, quod non potuit alter qui fide ad illum accessit.

ARTICULUS III.

Quae peccata remittantur per Baptismum, recedente fictione?

§. I.

Remittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententia.

Primum est, per Baptismum fide susceptum, recedente fictione, peccatum originale dimitti, cum nullum aliud Sacramentum, praeter Baptismum, ad peccati originalis remissionem institutum sit; unde solum difficultas est de peccatis actualibus, ante vel post Baptismum fide susceptum: vel in actuali ejus susceptione commissis, an scilicet talia peccata, ex vi ipsius

Baptismi, recedente fictione, vel per Sacramentum Pœnitentiae dimittantur? In cuius difficultatis resolutione quatuor reperio Doctorum sententias. Prima est Scoti, Gabrielis, & Vazquis, asserentium peccata, etiam ante Baptismum commissis, de quibus antecedens ad Baptismum attritionem non habuit, remitti postea recedente fictione, per Sacramentum Pœnitentiae.

Secunda quae est Magistri Soto, concedit quidem quod recedente fictione remittuntur per Baptismum omnia peccata quae ipsum praecesserunt, sed non illa quae in ipsa ejus susceptione commissis sunt.

Tertia quam defendit Paludanus, asserit Baptismum fide susceptum, vim habere remittendi peccata non solum quae ipsum praecesserunt, aut quae in actuali ejus susceptione commissis sunt, sed etiam quae ante ablationem fictionis, post ejus susceptionem patrata sunt. Addit tamen, Baptismum talia peccata directe non remittere, sed indirectè tantum, & cum obligatione illa subiiciendi clavibus Ecclesiae.

Quarta quae est communis in schola D. Thomae, & quam plures ex Recentioribus sequuntur, existimat omnia peccata, sive Baptismum praecedentia, sive cum eo simul commissis, per ipsum Baptisma ex opere operato remitti: peccata verò post ejus susceptionem commissis, deleri per Pœnitentiam.

§. II.

Rejiciuntur tres primae sententiae, & quarta statuitur.

Dico primò: Omnia peccata Baptismum fide susceptum praecedentia, recedente fictione, per ipsum Baptisma remitti, non verò per Sacramentum Pœnitentiae.

Probatum conclusio ratione fundamentali. Illa peccata non remittuntur per Sacramentum Pœnitentiae, quae non cadunt sub jurisdictione Ecclesiae: sed peccata ante Baptismum commissis, non cadunt sub jurisdictione Ecclesiae: Ergo non remittuntur per Pœnitentiam, sed per Baptismum. Major patet, Sacramentum enim Pœnitentiae requirit Ecclesiae jurisdictionem. Minor etiam non minus est manifesta, sicut enim Ecclesia non habet potestatem sive jurisdictionem super hominem nondum baptizatum, ita neque super peccata quae ante suum Baptismum commisit.

Confirmatur: Peccata quae per Pœnitentiam remittuntur, satisfactione aliquà in hoc saeculo expianda sunt: Sed nulla solet imponi satisfactio pro peccatis ante Baptismum commissis, etiam si quis de illis dum baptizaretur attritionem non habuerit, vel cum affectu ad peccatum mortale ad Baptismum accesserit, ut constat ex praxi Ecclesiae: Ergo peccata ante Baptismum fide susceptum commissis, non remittuntur per Pœnitentiam, sed per Baptismum, recedente fictione.

Dico secundò, etiam peccata quae simul cum Baptismo fide suscepto existunt, non remittuntur per Pœnitentiam, sed per Baptismum, recedente fictione.

Probatum primò ex D. Thomae hic art. 10. ad 2. ubi sic ait: Fictio non removetur per Baptismum, sed per Pœnitentiam subsequentem, quae remota, Baptismus auferit culpam & reatum omnium peccatorum.

actorum præcedentium Baptismum, & etiam simul ex-
istentium cum ipso.

29 Probatur secundò ratione præcedenti conclu-
sione insinuat: Peccata quæ nullo modo præ-
supponunt Baptismum, non possunt deleri per
Sacramentum Pœnitentiæ. Sed peccata quæ simul
eum actuali Baptismi susceptione committuntur
nullo modo præsupponunt Baptismum: Ergo nò
possunt deleri per Sacramentum Pœnitentiæ, sed
tantum per Sacramentum Baptismi, recedente fi-
ctione. Major est certa, peccata enim quæ nullo
modo præsupponunt Baptismum, non sunt pec-
cata hominis baptizati: sola autem peccata homi-
nis baptizati possunt remitti per Sacramentum
Pœnitentiæ, quia ea sola subduntur clavibus si-
ve jurisdictioni Ecclesiæ. Minor verò probatur:
Peccata quæ merè concomitantur se habent ad
ipsum Baptisma, non præsupponunt Baptisma:
Sed peccata quæ in ipsa actuali susceptione Ba-
ptismi committuntur, merè concomitantur se
habent ad ipsum, nullo enim modo ipsum præ-
supponunt: Ergo peccata quæ simul cum actuali
susceptione Baptismi committuntur, ipsum non
præsupponunt.

Dico tertio, peccata post Baptismum fictè sus-
ceptum commissa, recedente fictione, non rem-
itti per Baptismum, sed per Pœnitentiam.

30 Probatur primò ex D. Thoma hic art. 1. c. ad 3.
ubi sic discutit: *Effectus Baptismi non est tollere pec-
cata futura, sed præsentia, vel præterita; & ideo recedente
fictione, peccata sequentia remittuntur quidem,
sed per Pœnitentiam non per Baptismum; unde non rem-
ittuntur quantum ad totum reatum, sicut peccata
præcedentia Baptismum.*

31 Probatur secundò ratione ex fundamentis su-
prà statutis desumpta: Peccata enim quæ subse-
quuntur Baptismum fictè susceptum, subji-
ciuntur Ecclesiæ clavibus, atque adeò Pœnitentiæ:
Ergo per Pœnitentiam, non verò per Baptismum
remittuntur.

32 Dices cum Paludano, hoc argumentum pro-
bare quidem talia peccata non remitti per se &
directè per Baptismum, sed non ostendere ea
non deleri per Baptismum per accidens & indi-
rectè, & cum obligatione subijciendi illa clavibus
Ecclesiæ.

Sed contra: Nullum Sacramentum habet vir-
tutem ad remittendum peccatum post susceptio-
nem ipsius Sacramenti commissum, neque dire-
ctè, neque indirectè, nec ullo modo; non enim
ad hoc sunt ullà ratione instituta Sacramenta, ne-
que ad huiusmodi effectum à Deo acceptantur:
sunt enim Sacramenta medicinæ curativæ præce-
dentium peccatorum, & præservativæ sequen-
tium; non tamen fuit conveniens ut haberent
etiam vim ad delenda peccata postea commit-
tenda, nam huiusmodi medicinæ non adhiben-
tur, donec ægrotudo infit.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

34 **O**bjicies primò contra primam conclusio-
nem: Si Baptismus fictè susceptus, remit-
teret suâ virtute peccata ante ejus susceptionem
commissa, id præstaret remotione obicis, sive
fictionis præsuppositâ; evidens enim est, quod
non possit habere hunc effectum, quandiu obex
sive fictio perseverat: Sed neque etiam remotione
obicis præsuppositâ, potest remittere peccata
illa: Ergo falsum est quod illa remittat. Major

constat, Minor verò probatur. Non potest Ba-
ptismus fictè susceptus præsupponere remotionem
obicis sive fictionis; nisi præsupponat gratiam
& moralem non destruitur: Sed præsupponit
gratiâ sanctificante, eo ipso præsupponit remotionem
câtâ quæ ante Baptismum commissa sunt, omnino,
no, quoad culpam saltem, remissa, utpote quæ
mul esse non possunt cum gratiâ sanctificante. Ergo
remotione obicis præsuppositâ, non remittit
Baptismus, sed remissa supponit peccata illa.

Respondéo concessa Majori, negando Minor-
em; ad cujus probationem, distinguo Major-
em. Non potest Baptismus fictè susceptus præ-
supponere remotionem obicis sive fictionis, nisi
præsupponat gratiam, secundum virtutem quam
ipsa habet præcise ut est effectus Sacramenti Pœ-
nitentiæ, concedo Majorem. Nisi præsupponat
gratiâ secundum omnem virtutem quam habet
ut est in illo casu effectus Baptismi & Pœnitentiæ,
nego Majorem. Similiter distinguo Minor-
em. Præsuppositâ gratiâ sanctificante, præcise secun-
dum quod est effectus Sacramenti Pœnitentiæ,
præsupponuntur peccata quæ ante Baptismum
commissa sunt, omnino remissa, nego Minor-
em. Præsuppositâ gratiâ sanctificante, secundum
omnem virtutem quam habet ut est effectus in illo
casu tam Baptismi, quam Pœnitentiæ, concedo
Minor-em, & nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Cum gratia sanctificans
quæ in ipsa remotione obicis Baptismi fictè sus-
cepti tribuitur, sit effectus Baptismi, & Pœnitentiæ;
Baptismi in quantum est gratiâ regenerativa,
& remissiva omnium peccatorum, susceptionem
fictam Baptismi præcedentium; Pœnitentiæ verò,
in quantum est remissiva peccati fictionis. Ob-
iectum Baptismus fictè susceptus, eam præsupponit
ut removenem obicem fictionis, atque adeò ut
effectum Pœnitentiæ, non tamen ut remissionem
peccatorum ante Baptismum commissorum,
quandoquidem sicut ad ea non se extendit Sacra-
mentum Pœnitentiæ, ita nec ipsa gratia sanctifi-
cans, præcise in ratione effectus talis Sacramenti
considerata.

Instabis: Peccata ante Baptismum commissa
non possunt esse simul cum gratiâ, ut removenem
obicem Baptismi, sive ut effectum Pœnitentiæ,
alias enim posset remitti unum peccatum sine
alio, quandoquidem remotio fictionis est remissio
peccati sacrilegii: Ergo Baptismus non potest
præsupponere remotionem obicis, ut removenem
gratiâ quæ sit effectus Pœnitentiæ, nil eo ipso
supponat etiâ remissionem omnium peccatorum
ante fictam ejus susceptionem commissorum.

Respondéo distinguendo Antecedens. Peccata
ante Baptismum commissa, nò possunt esse simul
simultate temporis cum gratiâ ut removenem obicem
Baptismi, concedo Antecedens. Similiter
tate naturæ, & prius prioritate à quo, in genere
causæ veluti materialis, quàm sit effectus Baptismi,
& gratiâ ut regenerativa, nego Antecedens.
Sicut enim nulla est implicatio quod cõsequatur
prior prioritate naturæ & in genere causæ materi-
alis, remotio obicis ad effectum Baptismi, quàm
talis effectus: ita neque quod gratiâ ut removenem
obicem remissioni peccatorum ante Baptismum
commissorum, & ut effectus Pœnitentiæ, cõsequatur
prior ad seipsam, ut remissivâ talium peccato-
rum, & ut effectum Baptismi, quia cum hoc sit
peccatum fictionis non remitti in alio quo infirmum
quo non remittantur alia ante Baptismum commissa.

Obijcies secundò contra secundam conclusio-
nem: Illa peccata remittuntur per penitentiam
& non per baptismum, quia baptizatus tenetur
confiteri: Sed fictè baptizatus tenetur confiteri
omnia peccata quæ in ipsa susceptione baptismi
commisit: Ergo illa peccata non remittuntur per
baptismum, sed per penitentiam. Major con-
stat, Minor verò probatur. Quando quis tenetur
confiteri aliquod peccatum, tenetur confiteri gra-
vitatem totam illius: Sed ex una parte tenetur
baptizatus fictè, confiteri fictionem, ex alia verò
eo gravior est peccatum fictionis, quò quis habet
plura peccata in ipsa susceptione baptismi, fictio
enim formalis est irreverentia in susceptione sa-
cramenti, quæ haud dubie major est, quò plura
sunt peccata: Ergo fictè baptizatus tenetur con-
fiteri omnia peccata, quæ in ipsa susceptione ba-
ptismi commisit.

Respondeo concessa Majori, negando Mino-
rem: Sufficit enim quòd fictè baptizatus confitear
fictionem formalem: asserendo duntaxat se
suscepisse baptismum in peccato mortali. Ad
probationem in contrarium dico, majorem esse
veram quando non conjunguntur duo sacramen-
ta, sed in casu præfenti, cum hæc conjunctio fiat,
sola fictio remittitur per sacramentum peniten-
tiæ, gravitas verò illius major, quia provenit ex
magnitudine & multitudine aliorum peccato-
rum quæ remittuntur per baptismum, remittit-
ur etiam per ipsum.

Obijcies tertio contra tertiam conclusionem:
Licet sacramentum penitentiae non sit institutum
ad delenda peccata non confessa, tamen per
concomitantiam remittit etiam illa quæ ex obli-
vione non sunt confessa. Similiter licet Eucharis-
tia non sit per se instituta ad delendum peccatum
cum sola attritione, illud tamen interdum
remittit per accedens in eo qui existimans se esse
contritum, accedit ad illud sacramentum: Ergo
similiter licet baptizatus non sit per se institutus
ad remittenda peccata quæ post ejus susceptio-
nem committuntur, interdum tamen per acci-
dens ea remittere poterit.

Respondeo concessa Antecedente, negando
Consequentiam, quia nullum sacramentum ha-
bet vim ad remittenda peccata post susceptio-
nem ipsius sacramenti commissæ, neque directè,
neque indirectè: sunt enim sacramenta medicina
curativa præcedentium peccatorum, & præser-
vativa tantum respectu subsequendum. Unde
nego paritatem, peccatum enim oblitum in con-
fessione, supponitur commissum ante susceptio-
nem sacramenti penitentiae; & similiter Eucha-
ristia non facit de attrito contritum, nisi respectu
peccati ante susceptionem talis sacramenti com-
missi.

Quæres, utrum non solum peccata mortalia,
sed etiam venialia, baptismum fictè susceptum
antecedentia, aut ipsum concomitantia, per ip-
sum, recedente fictione, remittantur?

Respondeo affirmativè: Quamvis enim non sit
æque certum, recedente fictione, redire effectum
baptismi, quoad remissionem venialium, quia
baptismus non est medium necessarium ad hu-
jusmodi remissionem, nihilominus probabilius
est, etiam hunc effectum redire, quia si baptismus
ita institutus est, ut possit operari, sublato obice,
& recedente fictione, etiam si ipse non existat,
non est verisimile hoc esse limitatum ad unum
effectum ejus, potius quàm ad alium, nullum e-

Form. V.

nim fundamentum est ad id asserendum; præci-
puè quia gratia illa quæ datur recedente fictione,
tam verè est regenerativa, ac si esset data in præ-
sentia baptismi, & idèò quantum est de se, omni-
no transmutat hominem, & delet omnem macu-
lam vitæ præteritæ.

ARTICULUS IV.

Quæ dispositio sufficiat ad tollendam fictio-
nem, ut baptismus habeat effectum?

Notandum primò duobus modis posse ho-
minem esse fictum in susceptione baptismi:
Primò inculpabiliter, quia sine sua culpa caruit
dispositione necessariâ ad fructum sacramenti
recipiendum, ex eo scilicet quod habuit tantum
attritionem naturalem, quàm bonâ fide existi-
mavit esse supernaturalem. Secundò culpabili-
ter, & hoc adhuc dupliciter, primò quia sciens &
prudens, vel ex ignorantia vincibili, non adhibet
attritionem naturalem: secundò, quia in suscep-
tione baptismi committit aliquod aliud pecca-
tum, puta quia habet intentionem furandi facul-
tates Ecclesiæ.

Notandum secundò, in fictione illa culpabili
duo reperiri, unum tanquam formale, & aliud
tanquam materiale, sive fundamentum forma-
lis. Materiale sunt peccata illa ratione quorum
susceptio baptismi est indigna: formale verò est
ipsa indigna susceptio, quæ est speciale peccatum
in aliis fundatum. His præmissis, pro resolutione
difficultatis proponitur.

Dico primò: ad tollendam fictionem ex igno-
rantia inculpabili provenientem, sufficit attritio
supernaturalis. Hæc conclusio intelligi debet ex
suppositione quod post baptismum susceptum,
nullum peccatum fuerit commissum: tunc enim
ad illud tollendum necessaria esset contritio, vel
sacramentum penitentiae, ut postea dicemus.

Conclusio sic explicata facile suadetur: Nam
tota fictio ex ignorantia inculpabili proveniens,
posita fuit in carentia dispositionis necessariæ: ut
baptismus suum consequatur effectum, nimirum
attritionis supernaturalis, & non in novo pecca-
to: Ergo posita attritione verâ & supernaturali,
tolletur obex & fictio, & baptismus suum sortie-
tur effectum.

Dico secundò: Fictio peccaminosa formaliter
sumpta, debet tolli per contritionem, vel per at-
tritionem, cum sacramento penitentiae. Ita com-
muniter Theologi contra Paludanum in 4. dist.
4. qu. 5. docentem solam attritionem sufficere.

Probatur conclusio ratione fundamentali: Fi-
ctio peccaminosa formaliter sumpta, seu pecca-
tum indignæ sumptionis baptismi, non potest tol-
li in vi ipsius baptismi: Ergo ad ipsum tollendum
sola attritio non sufficit, sed necessariò requiritur
contritio cum sacramento penitentiae. Conse-
quentia patet, Antecedens probatur. Baptismus
non potest ea peccata remittere quæ ipsum con-
sequuntur: Sed fictio formalis consequitur bap-
tismum: Ergo per ipsum non remittitur. Ma-
jor patet ex dictis conclusione 3. articuli præce-
dentis, Minor verò suadetur. Ut detur fictio
formaliter, debet esse in eo instanti in quo con-
summatur sacramentum, siquidem si esset ante
illud instans, non tolleretur effectum sacramenti,
cùm in illo instanti talis effectus conferatur, &
possit baptizatus habere attritionem aut contri-
tionem, ut patet in eo qui toto tempore quo
illi conferretur baptismus, complaceret sibi in

V

pee-

peccato mortali, & in instanti terminativo illius, subito mutaretur, prorumpens in actum contritionis vel attritionis, quod non repugnat: Sed in illo instanti verum est baptismum præcessisse: Ergo fictio formalis est peccatum consequens ipsum baptismum.

- 48 Confirmatur: Quia fictio formalis debet esse in eo instanti in quo sacramentum consummatur habet ex se, & ex sua formali ratione, specialem repugnantiam cum effectu ipsius, quatenus formaliter tollit dispositionem ad ipsum necessariam: Ergo nequit per baptismum remitti, sed necessario debet esse materia penitentiae.

Dico tertio: Fictio materialiter sumpta, si continuetur etiam in illo instanti in quo baptismus deberet habere suum effectum, non potest tolli nisi per contritionem, vel attritionem, cum sacramento penitentiae: si verò desinat esse ante illud instans, vel etiam in illo instanti, remittitur ex vi baptismi.

- 49 Prima pars patet, si enim fictio materialiter sumpta continuetur etiam in illo instanti in quo baptismus deberet habere suum effectum, subsequitur ipsum baptismum: Sed peccata baptismi subsequuntur, cum sint subiecta clavibus Ecclesiae, non remittuntur nisi per contritionem, vel eludentem votum sacramenti penitentiae, vel per attritionem, cum sacramento: Ergo si fictio materialiter sumpta continuetur in illo instanti in quo baptismus deberet habere suum effectum, non tollitur nisi per contritionem, vel attritionem, cum sacramento penitentiae.

- 50 Secunda etiam pars non minus est manifesta: Nam si fictio materialiter sumpta desinat ante illud instans, vel in illo instanti in quo baptismus deberet habere suum effectum, non subsequitur baptismum, sed illum antecedit, vel comitatur: At peccata antecedentia vel concomitantia baptismum, cum non sint subiecta clavibus Ecclesiae, non remittuntur per penitentiam, sed per baptismum: Ergo nec fictio materialiter sumpta, si desinat ante illud instans, vel in illo instanti in quo baptismus deberet habere suum effectum.

- 51 Ex his inferes, quod si aliquis susciperet baptismum cum intentione furandi bona Ecclesiae, & talem intentionem continuaret etiam in illo instanti in quo baptismus deberet habere suum effectum, tale peccatum esset in confessione aperiendum, nec sufficeret dicere se cum fictione suscepisse baptismum. Si verò talem intentionem in illo instanti non continuaret, teneretur tantum dicere in confessione, se fictè accessisse ad baptismum, non verò se habuisse intentionem furandi facultates Ecclesiae: & si hoc in confessione declararet, non esset illi injungenda aliqua satisfactio pro illo peccato, quia hæc non est injungenda pro peccatis quæ delentur ex vi baptismi, cum baptismus totam poenam temporalem remittat, ut articulo primo ostensum est.

- 52 Intelliges etiam ex supra dictis, quod quando sacramentum baptismi, recedente fictione per contritionem, vel per sacramentum penitentiae, incipit habere effectum suum, talis ordo reperitur. Prius naturæ penitentia tollit fictionem, quæ prioritas reducit ad genus causæ materialis & dispositivæ, tum quia recessus impediendi prius naturæ intelligitur, quam introductio formæ impeditæ, tum etiam, quia recessus fictionis est quasi dispositio ut baptismus habeat suum effectum. In secundo instanti naturæ, baptismus

remittit peccata quæ fuerunt ante ipsum consummatum, nam infusio gratiæ regenerantis, vel instantis, intelligi nequit ante recessum originis culpæ, & lethaliū culpæ actualium. In instanti naturæ baptismus iustificat animam per gratiam regenerantem, quia gratia regenerans quæ confertur per baptismum, prioritate naturæ præcedit gratiam sanantem, quæ per penitentiam infunditur. In quarto demum penitentia iustificat hominem per gratiam sanantem, nam prius naturæ est generatio in vita spirituali per baptismum, quam sanatio per penitentiam.

ARTICULUS V.

Virum sit proprium baptismi quod conferat suum effectum, recedente fictione, an verò id etiam competat aliis novæ legis sacramentis?

In huius difficultatis resolutione variè opinantur Authores. Nam Sorus in 4. dist. 6. quest. 1. art. 8. docet hoc esse singulare in baptismi, recedente fictione suum consequatur effectum, tum quia Augustinus id solum attribuit baptismi, tum propter ejus necessitatem, quæ medium simpliciter necessarium ad salutem. Hæc sequuntur Vazquez disp. 161. cap. 2. Mercurius de baptismo disp. 12. sect. 1. & ultimarum, & Augustinus Bernal de sacram. in genere disp. 13. sect. 3. Alii omnibus & solis Sacramentis characterem imprimunt, hunc effectum tribuunt. In huiusmodi, Major, Covarruvias, Granado, Sylvester, Alii his addunt Sacramentum Penitentiae, ut Paludanus, & Sylvester. Alii id extendunt ad omnia Sacramenta, ut Cajetanus, Nuncio, Serranus, Candidus, Philippus à Sancta Trinitate, Henriquez, & Diana. Alii demum id tribuunt omnibus Sacramentis novæ legis, excepto Sacramento Eucharistiæ. Ita Suarez, Lugo, Filliugius, Becerra, & ex Thomistis Martinez à Prado, cuius sententia probabilior, & menti D. Thomæ conformior videtur. Pro resolutione

Dico primò, certum videri, non solum baptismum, sed etiam alia duo Sacramenta characterem imprimunt, nimirum Confirmationem, & Ordinem, conferre suum effectum, recedente fictione. Ita D. Thomas in 4. dist. quest. 1. art. 1. quest. 3.

Probat ratione fundamentali: Cum enim Sacramenta quæ imprimunt characterem sunt inextinguibilia, est in illis specialis necessitas, quod conservent suum effectum, recedente fictione: aliter enim qui fictè illa suscipiunt, manerent in perpetuum privati effectu proprio illorum, & tunc deberent obire munia ad quæ obligantur ex characteris, v. g. constanter profiteri fidem, & actus hierarchicos rectè exercere: At hoc videtur inconveniens, & suavitati divinæ providentiæ repugnans: Ergo omnia Sacramenta characterem imprimunt, recedente fictione, suos conferunt effectus. Unde hoc baptismi singulare non est, licet D. Augustinus supra, art. 2. citatus, illud tantum mentionem fecerit, tum quia de illis tantum disputabat, tum etiam quia est specialiter illo necessitas, cum ille sit janua omnium Sacramentorum.

Dico secundò: idem privilegium Extremae Unctionis & Matrimonii tribuendum esse.

Probatu breviter: Licet hæc duo Sacramenta A non sint simpliciter interabilia, sunt tamen interabilia secundum quid; matrimonium enim iterari non potest, vivente altero conjugē, neque extrema unctio in eodem statu infirmitatis. Ergo sicut illa Sacramenta quæ sunt interabilia simpliciter, idē possunt & debent recedente fictione effectum suum producere, quia homo non debet privari in perpetuum gratia Sacramentali, silem etiam dicendum est de istis Sacramentis, ne scilicet homo, durante toto tempore matrimonii, teneatur manere in eo statu, ad quem necessaria est gratia Sacramentalis, ad debitē vivendum in vinculo conjugali, quā tamen caret; & ne similiter infirmus in illa ultima luce careat gratia Sacramentali, seu auxiliis specialibus, ad vincendas vehementiores demonum tentationes quæ tunc occurrunt, maxime necessariis.

Dico tertio: probabile est etiam Sacramentum penitentiae fide susceptum, recedente fictione, producere suum effectum.

Probatu primò ex D. Thoma in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. in corp. ubi sic ait: *Confessio etiam potest esse in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua sacerdoti innotescere (id est nota facere) & de clavis Ecclesie se subicere; & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam est in aliis Sacramentis: unde non tenetur iterare confessionem qui fidem accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam amittere.*

Probatu secundò ratione p. titā ex necessitate Sacramenti penitentiae: Penitentia enim non est minus necessaria ad remissionem peccati mortalis commissi post Baptismum, quam sit Baptismus necessarius ad remissionem originalis & actualium quæ præcedunt Baptismum: unde si propter necessitatem Baptismi, tribuitur illi vis & efficacia conferendi gratiam, & remittendi peccata, recedente fictione, debet etiam concedi Sacramento penitentiae, cum tale Sacramentum possit interdum esse validum & informe, ut in Tractatu de penitentia ostendimus.

Dico quarto: probabilius videtur, Sacramentum Eucharistiae fide susceptum, non producere suum effectum, recedente fictione.

Probatu primò ex D. Thoma in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 2. quæst. i. in corp. 3. ad 3. ubi expresse docet quod Baptismus, recedente fictione, producat suum effectum, non verò Eucharistia.

Probatu secundò assignando rationem disparitatis inter Eucharistiam, & inter penitentiam, aliisque Sacramenta: alia enim Sacramenta, vel simpliciter, vel secundum quid, sunt interabilia, ut supra diximus, aut saltem sunt necessaria, necessitate nedum præcepti, sed etiam medii, ut patet de penitentia, quæ in re vel in voto est necessaria necessitate medii omnibus qui post baptismum mortaliter peccaverunt, quia nullum peccatum post baptismum potest remitti, sine ordine ad Sacramentum penitentiae: non est autem simile de Eucharistia, quæ etiam propter suam excellentiam exigit, ut homines cum maxima cautela & reverentia ad illam accedant.

Potest etiam suaderi conclusio ex inconvenientia quod sequitur ex adversa sententia: si enim Sacramentum Eucharistiae fide seu in statu peccati mortalis susceptum, recedente fictione, produceret suum effectum, sequeretur sacerdotem scienter toto vitæ curriculo in mortali

peccato celebrantem, si in mortis articulo conteratur, vel cum attritione confiteatur, recipere ingentem gratiam cumulum, correspondentem omnibus missis præteritis, in quibus celebrandis ingentia sacrilegia commisit; unde fieret repente sanctissimus, & ed sanctior, quod plura fuissent sacrilegia; & adhuc multò sanctior, si singulis diebus contra leges Ecclesie celebrasset decies, quod ex se incredibile apparet. Ad do quod Apostolus docet, indignè Eucharistiam fumentes, iudicium sibi manducare, quod ex parte verum non esset, si recedente fictione, ad vitam prodesset.

Dices primò: D. Thomas loco præcedenti conclusionē citato, ubi docuit penitentiam, recedente fictione, producere suum effectum, subdit: *Sicut etiam est in aliis Sacramentis*: Ergo censet universaliter omnia sacramenta (nullo excepto) recedente fictione producere suum effectum.

Respondeo cum Melchior Cano, D. Thomam non dixisse, in omnibus Sacramentis, sed in aliis Sacramentis, unde solum velle, quod præter penitentiam, alia quædam sunt Sacramenta, quæ recedente fictione producant suum effectum, non tamen omnia; quare loco supra citato, expresse excipit Eucharistiam, & nullibi eam includit.

Dices secundò cum Philippo à S. Trinitate: Eucharistia est omnium Sacramentorum perfectissimum & excellentissimum, à quo omnia alia dependent in sua causalitate: Ergo non debet illi denegari hoc privilegium, quod conceditur aliis Sacramentis, nimirum posse producere suum effectum, recedente fictione.

Sed nego consequentiam, hoc enim privilegium non denegatur Eucharistiae, ob defectum activitatis, perfectionis, vel excellentiæ, sed potius ob summam ejus perfectionem & excellentiam, quæ exigit ut homines cum maxima cautela & reverentia ad illam accedant, ut supra diximus: & quia Eucharistia nec est interabilia simpliciter, sicut Sacramenta quæ imprimunt characterem, nec secundum quid, sicut extrema unctio, & matrimonium, nec ita necessaria, sicut penitentia. Ad do quod, ex eo quod aliis Sacramentis hoc privilegium concedatur, non sequuntur illa inconvenientia quæ sequi ostendimus ex sententia quæ docet Sacramentum Eucharistiae, fide susceptum, recedente fictione sortiri suum effectum.

DISPUTATIO V.

De Circumcisione.

Ad quæst. 70. D. Thomæ.

Cum circumcisio fuerit preparatoria ad Baptismum, & præfigurativa illius, postquam D. Thomas fuse de Baptismo disseruit, ejusque institutionem, essentiam, causam ministerialem, subjectum, varioque illius effectus declaravit, breviter agit de circumcisione de qua etiam pauca hic subijciemus, ne quid huic Tractatui desit.